

pletionem satisfieri posse putaverint, sensumque legis torserint, falsis corruptum glossis, patet ex vindicatione legis à Christo facta, *Matth. V. & VI.*; unde etiam sibi ex peractis legis operibus summam salutem promittebant, omnia semet necessaria à juventute sua servasse cum juvene, *Matth. XIX, 20.* Christum alloquente, existimantes. Conf. de multiplici ecclesiæ judaicæ à veritate defectione Magn. Dn. Præsidentem meum in *Dissert. germ. von der Beharligkeit der Kirchen historie Colloqvii Emmendingensis* juncta, ubi illo falsæ Pontificiorum hac de re opinioni ecclesiæ judaicæ exemplum opponit §. 9. p. 158. seq. Traditiones denique, quas habebant, tantæ estimabant cum *Phariseis* plurimi, ut & scripturis s. eas præferrent, unde *Marci VII. 9.*, Christus *bellè*, inquit, *aboleatis mandatum DEI, ut traditiones vestras servetis.* Plura de æstimo traditionum cum neglectu scrutini scripturarum conjuncto afferam, ubi de *abn* scrutandi agendum c. 3.

§. 3. Verum sicut in genere de iis qui falsa docent, rectè *Seneca*, *nunquam*, inquit, *falsis constantia est, variantur & diffident*; ita quoque effati hujus veritatem in judæis perspicere licet, qui tum respectu aliarum opinionum, tum speciatim memorati traditionum humanarum æstimii in varias scissi sunt sectas, cum *Saduceæi* inprimis traditiones *Pharisaicas* odio haberent. *Josephus* ante laudatus, qui primò post Christum natum seculo vixit, trium suo tempore florentium sectarum facit mentioem in tract. *de vita sua*, qui adjungitur *Libris antiquitatum*, sub initium, addita simul de *Eremitæ* cujusdam instituto relatione. Sed ipsum *Josephum* audire juvabit. *Cum*, inquit, *annum 16. attingissem, statueram experimentum sume e de sectis apud nos. Jam tres sunt. Prima Phariseorum, secunda Saduceorum, tertia Essenorum. Optimam enim me electurum credebam, si omnes callerem. Quare magno labore omnes 3. percurri, neque tamen adhuc mihi factum erat satis! Cum enim intelligerem, quendam esse Banum Eremitam, qui nullis, nisi ex arboribus confectis utebatur vestibus, quique nihil nisi sponte narum comedeat, & castitatis gratia lavabat se sæpe diu noctuque frigida; magno zelo eum imitari conatus sum.* His ita propositis recenser, se per 3. annos apud illum Banum mansisse, at post in urbem esse reversum, ac *Phariseorum sectam*, quam *Stoicis* maximè vicinam vocat,